

## GENUFLEXORIUM.

## 1) Abbatis.

Cf.: *Pulvinar Abbatis.*

Non licet Abbati Collegiatae s. Petri Terrae Laureti Pennen. in functionibus canonicalibus et ecclesiasticis uti genuflexorio cum stratu et pulvinari in orando. n. 3823 ad 3 die 22. Mart. 1710.

## 2) Adorantium SS. Sacramentum.

Vd.: *Instructio Clem. §. IX. n. 15.*

## 3) Archiepiscopi.

Archiepiscopo Nazareno in Ecclesiis Regularium Dioecesis Tranen. genuflexorium cum strato et pulvinari deberi. n. 2583 die 26. Mart. 1672.

Vd.: *Praeses (cap. IV.)*

## 4) Episcopi.

(*In Processione.*)

Vd.: *Canonici assist. Episcopo in Process.*  
Vd.: *Praeses (Cap. IV.)*

## 5) Episcopi Suffraganei.

*Ad dubium:* An Suffraganeo Velitern. debeat genuflexorium et ancum pulvinaribus et strato ad adorandum ante SSmm., dum occasione functionum ingreditur Ecclesiam? S. C. resp.: *Negative.* n. 3491 ad 2 die 6. Sept. 1698.

## 6) Gubernatoris.

Cf.: *Gubernator; Genuflex. Magistratus.*

Gubernatori Praelato non competere jus genuflectendi simul cum Episcopo in eodem genuflexorio sed eum genuflectere debere in alio scamno seu genuflexorio una cum Magistratu saeculari, cujus caput gerit et repraesentat. n. 1915 die 29. Mart. 1659.

Gubernatorem Narnien. intervenientem functionibus ecclesiasticis non debere se genuflectere in genuflexorio, Episcopi, quando est cappa indutus, sed locum habere debere primum supra Magistratum. n. 2614 die 21. Jan. 1673.

Non licet Episcopo cappa pontificali suffulto dexteram deferre in propriis aedibus Gubernatori ejusdem loci, nec ad sinistram eundem admittere ad genuflectendum in eodem genuflexorio, in quo pariter cappa indutus ipse genuflectat. n. 2009 die 22. Novemb. 1659; n. 2591 die 16. Julii 1672.

Vd.: *Praeses (cap. IV. XI.)*

## 7) Laicorum.

Vd.: *Sedes Laicorum; Pulvinar.*

Non licere Regularibus in eorum Ecclesiis parere genuflexorium cum stratu et pulvinaribus, quando ad illas accedunt Germani fratres Baronis pro audiendis Missis et aliis divinis Officiis. n. 3039 die 20. Novb. 1683.

Ad expositionem Episcop. Avellini et Trigenti, quod nonnulli Barones ex ipsis Dioecibus praetendunt in Ecclesia pro se eorumque conjugibus genuflexorium cum stratu et pulvinaribus in medio Ecclesiarum ad instar Cardinalium sive Episcoporum, S. C. resp.: Praedicta nullo modo esse permittenda sed servandum esse decretum Episcopi etiam per Regulares et procedendum per Episcopum contra inobedientes etiam auctoritate S. C. n. 3068 die 24. Sept. 1684.

Non licere Ducissae Asculi uti genuflexorio et strato in Ecclesiis Regularium. n. 3153 die 13. Mart. 1688.

Ad preces ducis Vincentii de Capua del Bazo S. C. declaravit: Licere Baronibus in loco Baronali retinere in Ecclesia genuflexorium amovibile extra tamen presbyterium. n. 3527 die 12. Sept. 1699.

Baroni Calimerae licet retinere in Ecclesia matrice genuflexorium cum tapele et pulvinaribus, sed non Baronissae. n. 3684 ad 2 et 3 die 26. Apr. 1704.

*Ad dubium:* An Duci Campaniae liceat retinere in Ecclesia sedem et genuflexorium debite ornatum cum strato? S. C. resp.: *Negative* quoad sedem et genuflexorium fixum et dentur decreta. n. 3705 ad 2 die 13. Sept. 1704.

Baroni Caggiani debetur usus genuflexorii cum pulvinaribus, tapete et sede appodiali amovibili extra presbyterium. n. 3930 ad 3 die 13. Maji 1719.

Duci civitatis Asculi posse concedi usum genuflexorii absque tapele cum pulvinaribus absque auro, et usum sedis cameralis coriacea amovibilis extra presbyterium, non, in medio Ecclesiae sed in loco destinato ab Episcopo tam in Ecclesia Cathedr. quam in aliis; sed uxori ducis tantum posse concedi pulvinar solum. n. 3956 ad 1 et 2 die 23. Jan. 1723.

Juxta modum ab ipso Archiepiscopo praescriptum Oratori Principi Cursi usum Genuflexorii panno laneo cooperi concedi posse, dummodo dictum pannum Genuflexorii fines non excedat cum duobus etiam parvis pulvinaribus simili panno confectis extra tamen Presbyterium, et in Collegiata non in medio Ecclesiae sed in uno ex lateribus ei melius viso et quod nunquam liceat uti genuflexorio praesente Archiepiscopo in Terra Cryptaleorum, neque semper ornato in Ecclesia, sed ornatus ille feratur toties quoties dictus Princeps illam adire contingeret. n. 4010 die 7. Maji 1732.

## 8) Magistratus.

Vd.: *Genuflexorium Gubernat.*

Non licet Magistratui et Consuli genuflectere in eodem genuflexorio

una cum Episcopo cappa induto. n. 3878 ad 5 die 11. Maji 1715.

Vd.: *Praeses (cap. IV.)*

## 9) Quibus competit in Urbe?

*Ad dubium:* An permittenda sint vel potius reprobanda in Urbe genuflexoria cum stratis et pulvinis in Ecclesiis pro personis cujuslibet conditionis, praeterquam Regali vel Cardinalitia dignitate fulgentibus?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi... respondendum censuerunt ut infra videlicet:

„Negative ad primam partem, affirmative ad secundam“.

Atque ita responderunt et statuerunt. n. 4590 ad 11; die 17. Sept. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S. S. cuncta benigne approbavit Decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit, Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense, Anno, quibus supra.

## NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.:

Inter diversas hominum classes debitus est ordo servandus et quod uni conceditur vel permittitur, non omnibus aequè concessum et permissum censendum est; ideo ratione natalium, conditionis, dignitatis, gradus, munerum, extrinsecis etiam honorificis decorationibus quidam distingui debent, nedum in civilis societatis officiis, verum etiam in religionis actionibus. Tale est honorificum illud ornamentum genuflexorii, de quo in dubio.

Nuda siquidem sint oportet genuflexoria, si quae in Ecclesiis ante Aras collocantur, praecipue in magnis solemnitatibus, vel dum patet venera-



lioni expositum augustissimum Sacramentum, neque stragulis et pulvinaribus instrui debent, nisi pro S. R. E. Cardinalibus ac Regalibus personis, ut declaratum fuit, indictis poenis contra inobedientes, in S. C. Caeremoniali die 30. Maji 1701 et etiam expressius die 11. Aug. 1705 et hujusmodi Decretum fel. rec. Clemens XI. probavit confirmavitque, nec non promulgari atque executioni tradi et in omnibus Ecclesiarum Urbis Sacrarum affigi mandavit, die 23. ejusdem mensis et anni.

### S. GEORGIUS.

*Ad relationem Benedictin. Einsidl.:* In festo s. Georgii, cujus in Germania specialis est cultus, cum legantur tres lectiones de communi, petitur concessio Lectionum propriarum; celebratur enim Officium sub ritu dupl.; S. C. resp.: Pro gratia et legantur in 2. n. II. de sermone s. Laurentii Justiniani, quae propriae sunt de s. Georgio. n. 4044 ad titul. XXV. dub 7. die 5. Maji 1736.

Vd.: *Missae* (temp. p.; decr. n. 4930) *De Ordine Equestri s. Georgii M. in Bavaria auctoritate ap. confirmato*, vd.: *Bullam Bened. XIV. de die 6. Oct. 1741.* (Bull. r. t. XVI. p. 47.)

### S. GERTRUDIS V.

S. C. resp. PP. *Benedictinis Einsidl.:* In Festo s. Gertrudis V. abbatiss. dicenda est oratio: *Omnipotens sempit. deus etc.* n. 4044 ad titul. *de Oratione.* Die 5. Maji 1736.

### SS. GERVASIUS ET PROTASIVS.

*De divisione eorum officii*, vd.: *Reliquiae insig.* (Off. recit. decr. n. 2812.)

### GLORIA.

#### 1) Caput detegendum.

Vd.: *Caput.*

#### 2) Celebrans intonat et recitat.

Canonici missam sol. celebrantes tenentur intonare *Gloria etc.* et *Credo etc.* n. 3628 die 1. Julii 1702.

Canonicos teneri intonare absque alia praecinatione. n. 3652 die 23. Junii 1703.

*Ad dubium:* An stante consuetudine, quod hymnus: *Gloria etc.* integre sub organo moduletur et humanis vocibus nec alternatim concinatur, possit Episcopus cogere ad implementum eorum, quae continentur in c. 28. lib. I. Caer. Ep.? S. C. resp.: Abusum hujusmodi ab Ecclesiae praedictae praxi omnino tollendum. Die 19. Sept. 1654.

#### 3) In missa cum parament. violac.

Gloria non dicitur in votiva solemnibus, in qua paramenta violacea adhibeantur. n. 2363 ad 6 die 13. Febr. 1666.

Vd.: *Instructio Clem. §. XIII. n. 5.*

#### 4) In missa pro re gravi.

Vd.: *Missae pro re gravi.*

#### 5) In missa de Sancto.

Vd.: *Missae de Sancto.*

#### 6) In missa votiva de B. V. M.

Vd.: *Missae vot. de B. V. M.; Missae de Rosario.*

#### 7) In missa vot. pro Sponsis.

Vd.: *Missae vot. pro Sponsis.*

### GLORIA PATRI.

#### 1) In Exequiis Parvul. in hebdom. maj.

Non est necesse in fine psalmodiarum tribus diebus hebdom. majoris (in exequiis parvulorum) recitare *Gloria Patri etc.* sed tantum psalmos sine *Gloria etc.* n. 4175 ad 7 die 4. Sept. 1745.

In Exequiis parvulorum in fer. V. et VI. et Sabb. s. potest omitti Gloria Patri in psalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. S. R. C. 16. Jan. 1677.

#### 2) Omittendum.

Vd.: *Venite exultemus.*

#### 3) Reverentia.

*Ad dubium:* An ad Vesperas et ad Matut. et Laudes assurgens Episcopus ad *Gloria Patri* in fine psalmor. vel pro devotione vel ut se conformet aliis assistentibus in choro, quamvis juxta Caerem. non teneatur, possit iterum sedere antequam canatur versus: *Sicut erat etc.*, quamvis Canonici et caeteri in choro residentes persistent stantes, et quod aliquis Canonicus debeat intonare sequentem antiphonam; nam juxta Caeremoniale Episcopus non debet stare, quando Canonici intonant antiphonam, postquam est inceptus primus psalmus? S. C. resp.: Servandam esse laudabilem consuetudinem et tunc Episcopus sedere non debet antequam versiculum: *Sicut erat etc.* incipiatur. n. 2637 ad 11 die 17. Junii 1673.

### GOSSYPIUM.

Vd.: *Paramenta* (materia.)

### GRADUS ALTARIS.

Vd.: *Missae* (gradus altaris.)

### S. GREGORIUS II. P.

Benedictinis Einsidl. resp. S. C.: Expungatur dies obitus s. Gregorii ab 8. lectione in Officio ejusdem et tantum dicatur: *Coelum conscendisse mense Februario.* n. 4044 ad titul. XXV. dub. 6. die 5. Maji 1736.

### S. GREGORIUS VII.

#### 1) Missa.

*Ad dubium:* Quum Ordo Divini Officii pro Clero Rom. assignet Missam propriam pro Festo S. Gregorii VII. die XXV. Maji, quaeritur: an haec Missa, quae non reperitur in Missalibus in Belgio impressis, concessa sit pro universali Ecclesia? Et quatenus negative: an in praedicto Festo dici debeat Missa *Statuit* de Communi Conf. Pont. primo loco cum Evangelio *Vigilate*, ut habetur in aliquibus Missalibus, an Missa *Sacerdotes tui* de eodem Communi secundo loco, ut legitur in aliis?

Et Emus. ac Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. . . rescribi mandavit:

„Pro Festo S. Gregorii VII. Missa *Statuit* cum Evangelio *Vigilate*, uti impressa est in Missale Rom.“

Atque ita rescribi ac servari mandavit. n. 4921 ad 5 die 22. Maji 1841.

#### 2) Translatio.

##### PISAUREN.

Impetrata Apostolicae Sedis Indulto per Capitulum Cathedralis Pisaurum extensione Missarum et Officiorum sub ritu dupl. min. SSrum. Romanorum Pontificum, Directorii Extensor, in Calendarii reformatione assignavit Officio S. Gregorii PP. VII., quod jam sub ritu dupl. celebrabatur, propriam sedem, nimirum diem 25. Maji, quae



est dies fixa pro universali Ecclesia, amandato ad diem 28. ejusdem mensis altero S. Urbani P. et M., cujus tamen simplici dicta die 25. memoria celebratur. Cum autem, re maturius perpensa, congruere magis videatur, ut S. Urbani P. et M. Festum ad rit. dupl. elevatum antiquam repetat sedem translato ad diem 28. Maji Festo S. Gregorii PP. Conf.; sed dubitari possit utrum, nec ne id praestari valeat ab Ordinario et utrum conveniens sit et rationale; ideo delata res est definienda a S. R. C., sequenti proposito Dubio, cui et alterum accessit, vide licet:

An in casu proposito Ordinarius possit transferre Officium S. Gregorii VII. a die 25. ad diem 28. et Officium S. Urbani a die 28. ad diem 25. et an rationale sit quod fiat?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Affirmative in casu de quo agitur quoad utramque Dubii partem et Officium S. Gregorii VII. transferendum esse non in diem 28., in quo incidit Festum S. Bonifacii Papae et Conf., sed in diem 29. juxta Proprium Sanctorum Summorum Pontificum“.

Et ita respondit atque decrevit die 15. Maji 1819 n. 4561 ad 1.

#### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Regula generalis est, quod nemini liceat a propriis sedibus Officia Sanctorum amovere. Non enim exturbanda possessio est, nisi validae concurrant circumstantiae, quae ad id quodammodo impellant. Hoc adeo verum est, ut S. R. C. declaraverit, amotionem hujusmodi respectivamque translationem nec fieri posse ab Episcopo loci Ordinario. Ita in *Syracusana* 7. Dec. 1630; nam, ut in altero Decreto die 24. Nov. 1685 sancitum est, *Sanctis in Calendario Romano descriptis extra*

*propriis dies non potuisse nec posse assignari alteram diem fixam et sedem propriam absque auctoritate Sedis Apostolicae.* Dubium oriri posset quoad Officia de novo concessa, quae vel pro Ecclesia Universali, vel pro aliquo Regno, Provincia, Dioecesi etc., si non in propria (quod saepe nequit), in die prima non impedita collocantur; accidit quandoque, ut aliquo in loco alius Sancti sub eadem die celebretur Officium aequalis vel etiam solemnioris Ritus; quid igitur in hoc casu? Indulget S. C., ut Officio noviter concessa assignetur ab Episcopo prima dies vacua, ut patet ex Decretis, doctis adnotationibus a P. Cavalieri illustratis *Tom. 1. cap. 9. Decret. 12. et 13.* Videndus etiam *Tetamus in Append. ad Diarium Liturgico-Canonico-Morale cap. 1. §. 2. num. 19.* In casu proposito id accidit, cum enim Capitulo, Canonicis et Clero Cathedralis Pisaurensis facta potestas fuerit recolendi sub ritu dupl. Festa SS. R. Pontificum, novis hisce Festis certae assignandae erant sedes, quatenus alia Festa aequalis vel superioris ritus jam pridem occupassent dies ad ea celebranda in Martyrologio notatos. Hac in specie Calendarii Director consulto (annuente et approbante Episcopo) ad proximiores non impeditos dies numquam postea immutandos potuit Officia illa noviter concessa amandare, quae in propriis, ab aliis jam praeoccupatis, locum habere nequibant. Quod si id pro regulae generalis limitatione tenendum est, multo etiam magis obtinet in speciali casu occurrence duorum Officiorum ex noviter concessis in eadem die, veluti reapse illa sunt S. Urbani Papae et Mart., et S. Gregorii VII. P. et Conf., quorum memoria fiebat die 25. Maji, eo tamen discrimine, quod Festum S. Gregorii gaudebat ritu dupl., illud S. Urbani

ritu simpl., sive potius solam habebat commemorationem. Postquam vero sub uno eodemque ritu utrumque Festum celebrari concessum est, cum nequeant in uno Officio simul comprehendi, quia Urbanus Martyribus adnumeratur, Gregorius Confessoribus; necesse hinc est, alterutri aliam assignare sedem. Cuinam vero? Illi certe, qui licet posterior in Ritu fuerit, posterior tamen est in Veneratione et Cultu, ac utpote Confessor in paritate cedere debet Martyri, qui longe prius propriam habebat sedem in die 25. Maji, licet ritu simplici gauderet; ergo cum modo par sit utriusque ritus, a propria Sede S. Urbani exturbandus non est, proptereaque transferendus S. Gregorius VII. ad primam diem non impeditam; in hoc quippe casu non est voluntaria et arbitria immutatio, sed necessaria ac, ut ita dicam, coactiva. Neque in contrarium sensum valet ratio ex eo petenda, quia Calendarii Director, ut primum indulta fuerunt Pisaurensi Cathedrali Summorum Pontificum Officia, illud S. Urbani amovit transtulitque ad diem 28. Maji. Nam quod perperam gestum est pro infecto habetur et corrigendum eratum. Minus vero altera prodest proponenda in more universalis Ecclesiae celebrandi Festum S. Gregorii VII. die 25. Siquidem longe priusquam de hoc Sancto memoria fieret, universalis Ecclesia S. Urbanum, licet ritu simplici, venerabatur et modo etiam simul cum S. Gregorio veneratur, de uno faciens Officium, de altero simplicem commemorationem. Sed fieri id nequit, ubi aequali ritu uterque colitur. Utique servari uniformitas debet, sed quantum fieri potest: secus peculiariora locorum Officia forent expungenda, quia hujusmodi turbant uniformitatem: ideo qui indulto gaudent celebrandi sub ritu dupl. Festa SS. Pontificum, cum nequeant semper se-

qui Calendarium Universale, se conformare debent Calendariis principum Urbis Ecclesiarum, quae in iisdem celebrandis Officiis, dum nihil obstat, ordinem tenent in Martyrologio; sin minus, quod posterius est ad primam diem non impeditam amandant, tamquam ad propriam sedem. In eo tamen erratum est, quod S. Gregorio VII. assignata sit dies 28., quae non est libera, cum in ea communiter fiat de S. Bonifacio IV. P. et Conf., cujus natalitia dies pariter est 25. Maji, sed in assignatione proximioris diei S. Gregorio praepositur, quia isto anterior est. Quamobrem rite notavit diligens caeremoniarum Magister ab hac S. R. C. rogatus in suo dissertissimo Volo, quod Pisaurense Capitulum eundem ordinem tenere debet, quem tenent Calendaria Patriarchalium et Collegiatarum Urbis, in quibus dies 28. assignata est S. Bonifacio IV. et 29. S. Gregorio VII. De hac re forte nimis. Non inutilem tamen adnotationem hanc fore arbitror, quia licet agatur de casu particulari, nihilominus regulam praebet in similibus servandam, cum non uni Pisaurensi Cathedrali, sed pluribus Dioecesium indulta sint Officia SS. R. Pontificum.

#### S. GREGORIUS THAUMATURG.

*Ad dubium:* An Officium S. Gregorii Thaumaturgi recitandum sit ab omnibus ritu dupl. min?

Et S. eadem C. . . . rescripsit:

„Romae ex privilegio“.

N. 4806 ad 2 die 11. Martii 1837.

#### GREMIALE.

##### 1) Jus deferendi.

Vicarius et Beneficiati Ecclesiae paroch. s. Pauli Caesaraugustanae deferre non possunt gremiale in pro-



cessionibus, quas facere solent intra limites eorum Ecclesiae et Parochiae. n. 3077 die 10. Febr. 1685; et 20. Aug. 1687.

Dictum decretum extendendum fore ad omnes alias Ecclesias ipsius civitatis (Caesar.) injungendo Archiepiscopo ut contra transgressores etiam exemptos procedat auctoritate S. C. n. 3178 die 22. Jan. 1689.

Vd.: *Usus Pontificalium*; decr. n. 4863.

## 2) Quis imponit?

Magistri Caeremoniarum abstineant in futurum (in Capella Pontificia) ab imponendo et auferendo Gremiale, nisi impeditis Diacono et Subdiacono. n. 3686 die 26. Apr. 1704; n. 3691 die 7. Junii 1704.

## GUBERNATOR.

1) *De ejus habitu* in visitatione publica et priv., vd.: *Praeses* (cap. I. II.) *De accessu ad Eccles.* una cum Episcopo, *aspersione, adorat. SSmi. et de recessu*, vd.: *Praes.* (cap. III. IV. VIII. IX.); *de Pace* (ibid. c. V.); *de candela et palma accipienda* (ibid. c. V.); *de adorat. crucis* (ibid. c. V.); *de Commun. fer. V. in Coena D.* (ibid. c. VI.); *de reverentiis* (ibid. c. VII.); *de accessu ad eccles. una cum Cardinali* (ibid. c. XI.)

## 2) Praeeminentia.

Vd.: *Genuslexorium*; *Oratio pro Gubern.*; *Incensatio Gubern.*; *Magistratus* (praes. et obsequ. etc.); *Sedes Gubernat. Praeses.*

Instante Episcopo Maceraten. S. R. C. declaravit: Gubernatori Maceraten. Praesidi Provinciae non habenti facultatem Legati de latere non competere sedem sub baldachino, sed sine solio supra scamnum Magistratus: ac proinde Episcopum eo praesente nullibi Dioe-

cesis debere a benedictionibus Populi abstinere.

„Nullam praeterea deberi praecedentiam Gubernatori ac Praesidi praedicto supra Episcopum, etiam extra Dioecesim degentem“.

„Episcopum non debere obviam ire Gubernatori praedicto advenienti ad Cathedrali, neque ab illa discedentem associare“.

„Gubernatorem ac Praesidem praedictum teneri accedere ad Episcopum, ut ab eo accipiat candelam et palmam benedictam, etiam cum osculo manus ejusdem Episcopi“.

„Canonicos teneri praestare Gubernatori Civitatis ac Praesidi Provinciae consueta obsequia et quatenus de consuetudine non liqueat, satis videri, ut per duos Canonicos excipiantur et ad portam Ecclesiae associetur“.

„Magistratum teneri praestare Episcopo et Cathedrali Ecclesiae consueta obsequia tum praesente tum absente Gubernatore et quatenus renuat praestare, compelli posse“.

„Ad supplendum Magistratui absentis in lotionem manuum Episcopi, posse subrogari alios nobiles viros, quibus tamen locus in scamno Magistratus minime assignetur“.

Et ita servari mandavit. n. 2160.

Die 1. Aprilis 1662; n. 2182 die 5. Aug. 1662.

## 3) Visitatio mutua inter Gubernat., Episcopum etc.

Vd.: *Praeses.*

## S. GUILIELMUS.

*Ad dubium*: Officium S. Guilelmi Abbatis, quod sub ritu dupl. et cum lectionibus *Justus si morte etc.*, recitabatur in Sardinia, instante ejus Rege per Decretum diei 24. Aug. 1785 extensum fuit ad Eccl. universalem. Hinc quaeritur: An in omni

Ecclesia dici debeant praedictae lectiones de communi, uti notatur in Codice Officiorum pro Ordine Seraphico Reformatum Romae typis dato? Eadem difficultas circumfertur per Hispanias circa alios casus, in quibus Decreta extendunt aliqua Officia, quae cum majori ritu et lectionibus in primo Nocturno propriis, aut de communi in aliqua Dioecesi recitantur, ad alias Ecclesias, mutando tantum ritum in duplicem vel semiduplicem, quin de lectionibus aliquid statuatur?

S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, typis etiam vulgato, ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. de Somalia Urbis Vicarii, dicti Congregationis Praefecti et Ponentis rescribendum censuit:

„Negative et lectiones legendas ipsa de Scriptura tam in Officio S. Guilelmi quam in aliis, de quibus quaeritur in secunda Dubii parte“.

Et ita declaravit. n. 4474 ad 7 die 2. Maji 1801.

## H.

## HABITUS ET HONESTAS CLERICORUM.

*Habitus in choro assistentium*, vd.: *Chorus* (hab.); *Canonici*; *Episcopus*; *Expositio SS. Sacramenti.*

### Innocentius PP. XII.

§. 1. Volendo la Santità di Nostro Signore; che omninamente, et con ogni puntualità si osservi, et si dia esecuzione alla disposizione de Sacri Canonici, e degli Editi altre volte pubblicati, tanto circa la decenza dell' Habito, quanto circa la Tonsura Ecclesiastica, non cui li Sacerdoti, e li promossi agli Ordini Sacri, e li Chierici di prima Tonsura, che tengono Benefitii Ecclesiastici di qualunque forte etiamdi semplici, ò che servono con salarii in Chiese, devono secondo la disposizione de' medesimi Sacri Canonici incedere, e molto maggiormente comparire a gli Altari per celebrare, ò fare altre functioni Ecclesiastiche, come anco circa la modestia, e decenza di prepararsi in tempo, e luogo, che devono celebrare; col presente publico Editto di ordine et commissione speciale della Santità Sua si rinnova particolarmente

l' Editto della sa. me. di Clemente IX. pubblicato li 29. Giugno 1667, e l'altro della sa. me d'Innocenzo XI. pubblicato li 10. Ottobre 1681. Et à quelli inherendo, e rispettivamente ampliandoli, si ordina, e commanda, che nessun Sacerdote, ò Ordinato in Sacris, ò Chierico come sopra possa andare per Roma dalla levata del Sole sino à mezz' hora di notte vestito con habito, e veste curta, mà debba incedere con habito lungo sino al collo del piede, detto vulgarmente habito Talare, e debba portare la Chierica, e Corona, ò sia Tonsura Chiericale della grandezza conveniente all' Ordine, e grado di ciascheduno, la quale non sia di minor grandezza d'un testone, e sia totalmente apparente, e così spesso rinnovata, che si possa ben vedere.

§. 2. Si ordina parimente, e commanda, che nessun Sacerdote, ò Ordinato in Sacris, à Chierico ancor di prima Tonsura come sopra porta Zazzarra, ò Capigliatura, e molto meno Capelli, e Zazzara finta, chiamata vulgarmente Perucca, che copra la fronte, e l'orecchie.